

Renatus RAPINUS

ODARUM LIBER (1161 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de deux éditions : celle parue chez Arnod Doude, à Leyde, en 1672, et celle publiée en 1673, à Paris, chez Sébastien Mabre-Cramoisy.

ODARUM LIBER.

JESUS IN AGRO LUDENS CUM MATRE. ODE I.
IN QUA DESCRIBITUR AMOENITAS RURIS.

O_1	v.1	At quis hic autem puer, innocentes
	2	qui parat lusus, ubi prata mollis
	3	collium flexus, tenuisque rivi
	4	unda coronat ?
	5	Tunc stellarum decor, eruditae
	6	prima naturae facies, supremae
	7	mentis exemplum, sobolesque magno
	8	aequa patenti ?
	9	Clara, tu quondam pede qui tonanti,
	10	astra calcabas, volucresque stellas,
	11	jam super molles violas, et inter
	12	lilia ludis.
	13	Virgo, non natum decet iste ludus :
	14	solis ardentes melius quadrigas
	15	frenet, et curru superos volanti
	16	urgeat ignes.
	17	Antequam caeli spatiosus orbis
	18	tenderet vastam per inane molem,
	19	ille jam nubes super, atque ventos
	20	arduus ibat.
	21	Si per herbosos tamen est recessus

22 cura ludentem recreasse natum,
 23 rure cum laeto procul aura vernis
 24 floribushalat
 25 Hic ager vicinus amoenitatem
 26 dulce respirat ; sine nube puri
 27 hic fluunt soles, zephyrique blando
 28 murmure ludunt.
 29 Mollis hic tellus viret et tepente
 30 sternitur musco via, ne rigenti
 31 vel pedes laedat teneros arena
 32 callis iniquus.
 33 Sive lectorum studiosa florum,
 34 quaeris aptandam puero coronam,
 35 aut amas molli digito comantem
 36 carpere myrtum.
 37 Late odoratas tibi promit uber
 38 hic opes campus ; rosa purpuratos
 39 hic sinus, fuscas violas, nitentes
 40 lilia pandunt.
 41 Arbor aestivo bene multa soli
 42 divite exponit sua poma ramo :
 43 frugibus felix beat arva largo
 44 copia cornu.
 45 Terra quae dorso tumet eminenti,
 46 sponte se Baccho dedit ; at patentes
 47 fusa per campos Cereri laborat,
 48 ubere gleba.
 49 Sive te fontes, et amoena lymphis
 50 prata delectent, ubi blandienti
 51 garriat laetam querulus per herbam
 52 murmure rivus.
 53 Non procul leni fluit unda cursu,
 54 nulla quam turbat ratis, inquieto
 55 remigum pulsu, vacat otiosis
 56 ripa phaselis.
 57 Una per campos aqua delicatum
 58 vitreo labens ciet ore murmur ;
 59 blanda labenti, simul et strepenti
 60 obstrepit aura.
 61 Humidum litus tepet, et palustri
 62 textur junco : per aprica rivum
 63 arva ludentem tegit explicatis
 64 frondibus arbor.
 65 Quid voluptates memorate pergam
 66 ceteras ruris tibi praeparati ?
 67 Ipsa ridentis plaga ridet omnis
 68 ore puelli.
 69 Pastor erranti grege feriat
 70 inflat arguta calamos sub ulmo ;
 71 colle respondet vagus in propinquo
 72 carmina pagus.
 73 Interim plaudant hilarata cantu
 74 rura, persultat pede pulsa tellus,
 75 mugiunt valles, ovibusque pastis
 76 flumina balant.
 77 Personat festo nemus omne plausu,

78 ales exsultans ovat, et sonoris
 79 cantibus mutas animasse rupes
 80 gaudet acanthis.
 81 Garrulus surdas zephyrus volatu
 82 provocat frondes, ubi purus undae
 83 humor obliquo per agros laborat
 84 serpere cursu.
 85 Illa naturae fuit innocentis
 86 forma, cum prisca niveique mores,
 87 cumque sub primi bona mens vigebat
 88 tempora mundi.
 89 Si quid aestivi per agros caloribus
 90 forte vitalem tepescit auram,
 91 obviam ramo nemus imminenti
 92 porrigit umbram.
 93 Prona se nato simul, et parenti
 94 quercus affundit super, et reclini
 95 incubans natum pariterque matrem
 96 fronde coronat.
 97 Perge felices agitare ludos,
 98 virgo : ludentem mea te sonabit
 99 Musa, te semper puerumque jugi
 100 carmine dicam.
 101 Sic ames autem recreasse natum,
 102 ut tuo vati, miseroque pacem,
 103 ore quo ridet bonus, et quietem
 104 annuat orbi.

AD ILLUSTRIS. VIRUM GUILLELMUM LAMONIUM SENATUS PRINCIPEM. ODE II.
 PRO RECEPTA VALETUDINE IN POSTERUM DILIGENTIUS TUENDA.

O_2 v.1 Dum vis improba fervidae
 2 febris te rapidis ureret aestibus :
 3 tecum me quoque, Lamoni,
 4 perfixum tenuit corde sub intimo
 5 morbi pars violentior.
 6 At quas non precibus, cum fureret dolor,
 7 fatis opposui moras ?
 8 Pro te, res sineret, fataque poscerent,
 9 vitam fundere prodigus.
 10 Sed frustra facilis restituit Deus
 11 votis incolumem meis :
 12 si curis etiam pro popularibus,
 13 somnos rumpere destinans,
 14 nec fessum strepitu pectus, inutili
 15 rerum pondere liberens.
 16 Frustra sollicitis fletibus obvios
 17 fati fregimus impetus :
 18 si tam crebra suis ambitionibus
 19 fidi turba gregis, tibi
 20 seris invidet noctibus otium ;
 21 postquam non modicam tuo
 22 partem sustinuit demere de die.
 23 Longe, qui tibi, publicae
 24 dum momenta rei grandia sustines,

25 rebus frivola de suis,
 26 duri saepe tuis auribus, obstrepunt.
 27 Longe turba clientium,
 28 cum te sepositum dulcis amabiles
 29 ruris deliciae tenent.
 30 Hic mens jam gravibus fessa negotiis,
 31 se, secreta per otia,
 32 Musarum teneris lusibus explicet ;
 33 et frons laetior aspici,
 34 curarum rigidis libera nubibus,
 35 risu seria temperet.
 36 Aut dilecta tuas filia dulcibus
 37 curas delet osculis,
 38 quae figat facili plurima dexteræ,
 39 nolenti rapere obstinet.
 40 Hic auris et ames liberioribus,
 41 molli sub zephyro, frui :
 42 jam fractis, humili sole, caloribus,
 43 latifundia cum tui,
 44 acri vectus equo, ruris obambulas,
 45 venatuque premis nemus.
 46 Nec jam te phaleris Gloria cum suis,
 47 dotalique superbia
 48 nec quae Fama tuas excubat ad fores,
 49 magni nominis artifex,
 50 urat sollicitum. Te nihil attinet,
 51 vulgares animos supra
 52 tam longe positum, quaerere turbida
 53 famam sollicitudine.
 54 Princeps purpureo jam datus ordini,
 55 tantum vive : brevi tuam
 56 sese laudis iter ferre per arduum
 57 emirabere gloriam :
 58 quo fortuna vocat te tua, publicis
 59 regni pro rationibus.
 60 Nec lucem hanc animus temnere nobilis
 61 caelo affectet iter prius,
 62 quam toto penitus tollere perfidas
 63 artes coeperis e foro,
 64 et luxus populorum intolerabilem
 65 emendare licentiam.
 66 Atque implenda tuae denique gloriae
 67 postquam fata repleveris,
 68 hos vitae strepitus, et miserabiles
 69 curas deserere occupa,
 70 pacis perpetuae condicionibus.

AD CICADAM. ODE III.

O_3 v.1 O quae virenti graminis in toro,
 2 cicada, blande sidis, et herbidos
 3 saltus oberras, otiosos
 4 ingeniosa ciere cantus.
 5 Seu forte adultis floribus incubas,
 6 caeli caducis ebria fletibus ;

7 gaudesve persultare campi
 8 graminei virides per undas,
 9 seu voce concors accinis aemula,
 10 pagi eruditas inter arundines ;
 11 aut provocatos cantilenis
 12 agricolas animosa vincis ;
 13 seu per loquaces garrula rivulos
 14 stridore rauco ludis agrestibus
 15 lassis, fatigatisque bobus,
 16 in medio modulamen aestu :
 17 exaggerati seu tibi nectaris
 18 rorem ministris perpluit imbribus
 19 caelum, coronatosque gemmis
 20 roriferis thalamos adornet :
 21 ades canenti ; dum tibi marmore
 22 vates perenni, carminibus bonus
 23 molitur immortale templum,
 24 unde per ora virum volabis.

AD REGEM CHRISTIANISSIMUM LUDOVICUM XIV. ODE IV.

OSTENDIT GRAVITATEM PERICULI, QUOD IMMINEBAT REGNO, PER EJUS MORBUM ;
 EUMQUE ORAT, UT IN POSTERUM A NEGOTIORUM MULTITUDINE SIBI TEMPERET, ET
 PACE QUAM FECIT, FRUI MALIT.

O_4 v.1 Nam quod nostra aetas potuit committere tantum
 2 scelus, Deumque provocare vindicem ?
 3 Omnes Fatorum postquam jam sensimus iras,
 4 ut ipsa Regis appetatur et salus.
 5 Nam te rure tuo nuper, Lodoice, premebat
 6 minace morbus horrifer periculo ;
 7 et sacra inclemens urebat viscera febris.
 8 Nec Hercules inarsit aestuosius.
 9 Ipsa sui passim monstravit signa doloris,
 10 eo metu praeoccupata Civitas.
 11 Quam neque civiles potuerunt perdere motus ;
 12 nec arma Franco abominata militi ;
 13 non ferus Arctoo veniens a Sole Polonus,
 14 gravique Marte Belga cognitissimus ;
 15 non conjuratam quatiens Discordia taedam,
 16 trucem tot implicata viperis comam ;
 17 non impacato Germanus junctus Ibero ;
 18 nec inquieta temporum impotentia :
 19 una dies illam morbo prope perdidit uno,
 20 suoque paene dissipavit impetu.
 21 Haec potius Scythico contingant Aef<ta> tyranno, (cf. note dans
 22 pio suprema qui minatur Adriae. version \.doc' du texte scandé)
 23 Illa quam melius Thrax miles febre periret,
 24 per omne litus exsecratus Italum.
 25 Hostibus has, superi, vestris immittite poenas,
 26 Propontidique, finibusque Thraciis.
 27 Perdite sacrilegos, sed Regi parcite : vestris,
 28 eo dolente, conveniret hostibus.
 29 Ille emendando natus succurrere mundo,
 30 nefarioque temperare luxui.

31 Ah ! Longos illum, superi, servate per annos,
 32 suis ut ornet ipse vos honoribus :
 33 et Matrem servate ; satis jam vidimus omnem
 34 coinquinasse regiam febres domum.
 35 Hoc mecum, laeti Regis de munere vates,
 36 chori e sacro scientioris agmine ;
 37 hoc omnis Musarum oret turba inclyta, doni
 38 benignitate provocata Regii.
 39 Nam Musas nuper Regis se fudit in omnes
 40 satis superque larga liberalitas.
 41 Carminibus, vates, vos illam dicite vestris ;
 42 caputque Regis implicate floribus.
 43 Ipse fidem superis pro te, Lodoice, vovendam,
 44 meumque primus obligabo dis caput.
 45 Perque aras effundam omnes non parcus, acerris
 46 Sabaea tura de capacioribus.
 47 Orabo Divos, per te, non ultime Divum,
 48 tuis ut usque temperent laboribus.
 49 Ne jam nostra tuae perturbent gaudia febres,
 50 sacroque pacis obstrepant silentio.
 51 Nam sat divinum fregere negotia pectus,
 52 ames et ipse pace jam frui tua :
 53 quodque tuis armis regno mundoque dedisti,
 54 tibi deinde ne negaris otium.

IN TUMULUM DOCTISSIMI VIRI JOANNIS VERJUSII. ODE V.

EJUS MORTEM,
 QUOD UTERETUR VALETUDINE NIMIO LITTERARUM STUDIO PRIDEM AFFECTA,
 NON DOLENDAM.

O_5 v.1 Et lauro juvat, et rosis,
 2 et mille hunc tumulum spargere floribus,
 3 festo non sine carmine.
 4 Affer tura, puer, nec timida manu
 5 omnem cum tumulo locum
 6 de puris Arabum incende vaporibus.
 7 Nam quorsum tua, Verjusii
 8 flerem cum reliquis funera vatibus,
 9 atque injusta dolens, meis
 10 turbarem cineres de lacrimis tuos ?
 11 Postquam te mala februm,
 12 languorumque cohors, non habilis tuae
 13 menti carcere corporis
 14 exsolvit miserum, tot que doloribus
 15 perfunctum, atque alacrem mori.
 16 Nam ceu praetumido flumine, literis
 17 mens undata capacibus,
 18 formatique bonis artibus ingeni,
 19 et lucis memor insitae,
 20 quaerens hospitio non bene mutui
 21 solvi denique corporis,
 22 ex longo ad superas ambitiosior,
 23 affectabat iter domos :
 24 laetus ducis ubi, grandibus otium

25 jam partum meritis, sacro
 26 permixtus numero nil cupientium.
 27 Hic quaesita laboribus
 28 tantis, nuda suis se tibi Veritas
 29 demum e nubibus explicat ;
 30 et de fonte suo clarior aspici,
 31 caelestis Sapientiae,
 32 quam sic doctus eras, jam tibi lux patet.
 33 Hic dum pars melior tui
 34 regnat deposito libera pondere,
 35 ridere immiserabilem
 36 vitae stultitiam fortis, acerbaque
 37 nostrorum penitus pati
 38 maerorum indocilis : cur ego te gravi
 39 deplorem querimonia,
 40 humanasque vices ? Ah ! Potius paris
 41 vitae condicionibus,
 42 tecum et vivere amem, et sustineam mori.

AD CLEMENTEM IX. PONT. MAX. ODE VI.

NUNTIUM DE EJUS PONTIFICATUM
 COMMUNI TOTIUS ORBIS TERRARUM LAETITIA CELEBRATUM.

O_6 v.1 Nostra successus habuere laetos
 2 vota : Romano datus est ovili
 3 optimus demum vigilare, caro
 4 pro grege, Pastor.
 5 Hujus indignam miseratus aether
 6 saeculi sortem, et prece suscitatus
 7 publica, mundo dedit hoc labanti
 8 denique munus.
 9 Muneris tanta super impetrati
 10 gratia, terris procul e remotis
 11 ultimus monti bene Vaticano
 12 annuit orbis.
 13 Nec Palatini tacuere colles,
 14 grande Clementis decus elevati,
 15 faustitas per quem sua restitutis
 16 addita rebus.
 17 Ipsa, cum longo grege Gratiarum,
 18 et Fides, et Pax, et aperta largo,
 19 o Pater, Romam duce te revisit
 20 copia cornu.
 21 Laeta riserunt, grege feriato,
 22 ad tui plausus hilarata regni
 23 prata : celarunt sua nec Sabinae
 24 gaudia valles.
 25 Pristinae quando grave servitutis
 26 pondus annonae bonus eximebas,
 27 fruge vectigal populo in paranda,
 28 quippe remissum.
 29 Munus hoc sensit locupletiori
 30 gestiens culmo seges, et tumente

31 messium fluctu, superans avari
 32 vota coloni.
 33 Sensit et flavus Tiberis, profundo
 34 efferens alveo caput, et beatam
 35 rite gratatus populo Quiriti,
 36 te patre, Romam.
 37 Urbs tuum late dedit inde nomen
 38 per repercussas resonare valles
 39 collium septem, sua dum renarrat
 40 gaudia mundo.
 41 Audiit longe Tagus, et sonantes
 42 trans Atlantei pelagi recessus,
 43 ferre Clementem merita supremam
 44 fronte tiaram
 45 Fama vulgavit populis, tubaeque
 46 nuntiae plausu procul audiendo,
 47 orbi adorandum didicit superbus
 48 nomen Orontes.
 49 Sensit, Arctois etiam sub oris,
 50 nuntium, toto glacialis Hebrus
 51 litore exsultans, hilarique ramo
 52 fronduit Haemus.
 53 Te pharetrati didicere Persae,
 54 supplices arcus tibi mitigati
 55 Sarmatae inclinant, positisque Maurus
 56 te colit armis.
 57 Et sonat quando tuba, te tuamque
 58 arbitram pacis, Pater alme, dextram
 59 fluctibus belli male verberatus
 60 respicit Orbis.
 61 At suas de te quoque spes, suumque
 62 gaudium, gentes super universas,
 63 omnibus late celebravit ingens
 64 Sequana ripis.
 65 Haeresis torvo tamen una vultu
 66 ad tuum fertur trepidasse nomen :
 67 ipse Cocytus stupefactus imo
 68 palluit amne ;
 69 fronte dejecta, malesuadus Error
 70 pressit os mutum, simul in supremum
 71 atque te Petri solium extulerunt
 72 publica vota.
 73 Oderint illi tamen, ire contra
 74 qui tuos nutus misere obstinarent,
 75 debiles parere tibi, sibique
 76 fidere fortes.
 77 Sed tuus te grex amet ut parentem,
 78 iudicem dum te timeant rebelles,
 79 quando Tarpeio metuendus igne,
 80 fulmina torques.

AD EUMDEM PONTIFICEM MAX. ODE VII.

QUOD A REGE CHRISTIANISSIMO, SUMMUS PACIS ARBITER,
 PRO REBUS INTER REGES COMPONENTIS, PROPOSITUS SIT.

O_7 v.1 Romam venimus nos etiam exteri
 2 testes earum, publica vox, super
 3 Clemente, quas coepit per urbes
 4 fama Italas memorare, rerum
 5 famaеque dictis omnibus, et fide
 6 majora longe vidimus, et novum
 7 regnare Pastorem faventis
 8 pro populi procerumque voto.
 9 Et te, potentum maxime, vidimus
 10 alto supremi pondere consili,
 11 vix sacro adoratum Senatu,
 12 attonitae dare jura Romae.
 13 Nomenque laetam vidimus ad tuum
 14 gestire plebem, cum volitantium
 15 inter quadrigarum catervas,
 16 per mediam rapereris urbem.
 17 Tibique plausus a populo datos,
 18 stupente visus de thalamo Tibris
 19 audisse, nec circumsonanti
 20 laetitiam tenuisse ripa.
 21 At, quem benigno sidere, te patrem
 22 mundus recepit, tristia detonent
 23 dum bella, pacandus, tuisque
 24 relligio reparanda curis.
 25 Deliberanda pace super, venis
 26 fatalis Orbi debitus arbiter,
 27 per regna, quem pro temperandis
 28 das medium, Lodoice, rebus.
 29 Favete gentes, mutua quas furor
 30 armavit in tot funera, et ultimam
 31 fumantis Europae ruinam
 32 unanimi prohibere nutu.
 33 Audimur ! En jam de manibus feri
 34 labuntur enses, laetaque desuper
 35 serena portendunt quietem.
 36 Paciferae veneranda dextrae
 37 se pronus Orbis curvet ad oscula.
 38 Praeite reges, pectus inutili
 39 nudate jam ferro, et virenti
 40 Pontificem redimite oliva.
 41 Longis tubarum pulsa fragoribus
 42 redibit alto laetior e polo
 43 Astraea terris, et beatas
 44 rura dabunt inarata messes.
 45 Superba Lunae cornua sentiet
 46 pallere toto Bosphorus aequore ; et
 47 Thraces triumphati pavebunt
 48 vim dominae geniumque Romae.
 49 Ipsa et tuorum pondere fulminum
 50 asserta mundo, et pulchrior aspici
 51 palam revelabit verendos
 52 Relligio, intrepidusque vultus.
 53 Tum te videri denique splendidum
 54 leves per auras Gloria fervido
 55 monstrabit e curru, labantis

56 praesidium, columenque mundi.
 57 Et Fama scuto scribet in aureo
 58 illustre sciri nomen, et omnia
 59 per regna, Clementem per omnes
 60 pacificum celebrabit oras.

AD CLARISS. VIRUM FLAVIUM MONTANERIUM AMICUM SUUM. ODE VIII.

UT ROMANAM FIDEM, QUAM PROFITEBANTUR EJUS MAJORES, AMPLECTI VELIT.

O_8 v.1 Tume, carmine percitam
 2 quamvis mentem agitet non humilis furor
 3 Franci dicere militis
 4 lauros terribilem quas legit ad Lisam,
 5 tu me sollicitum tenes,
 6 Montaneri : animo curaque tu meo
 7 ex longo acrior insides,
 8 audax quod fragili per mare naufragum
 9 jamdudum rate naviges ;
 10 nec sat forte tuae remigium rati,
 11 nec sint vela satis bona,
 12 ut portum incolumis difficilem occupes ;
 13 vestrarum neque partium
 14 evites scopulos naufragiis graves.
 15 Non sic, tempore pristino,
 16 Montaneria gens, nobile sanguinis
 17 quondam principium tui,
 18 non sic vestra domus, Romula quam ratis
 19 vexit per mare, non patres
 20 sic vixere tui. Quare age, devios
 21 calles, castraque patribus
 22 detestata bonus desere : non tuae
 23 error convenit indoli.
 24 Tene ah ! Moribus his, hoc animo, hac fide,
 25 caris tam bene cognita,
 26 tene his et meritis, hac sapientiae
 27 et tot dotum opulentia,
 28 hesterni species frivola dogmatis
 29 nostro separet a grege,
 30 majorum immemorem scilicet, et tuae
 31 nutrici male credulum ?
 32 Ah ! Ne perfida pax te miserabili
 33 tutum fingat inertia.
 34 Sed per lenta tui seria consili,
 35 alto mentis in otio,
 36 contemplare, quibus refluere impotens
 37 aetas praecipitet rotis ;
 38 et quas pollicitus spes tibi, quas suis
 39 olim non violabile
 40 per numen, moriens asseruit Deus,
 41 tecum denique respice.
 42 Et ne, restat adhuc dum breve temporis
 43 momentum, male fortibus
 44 ne jam consiliis aut rationibus,
 45 votis pone moram meis :

46 votis omnibus hoc et lacrimis emam,
 47 pro quo, si pietas velit,
 48 et poscas, etiam sit pretium mori.

IN CLEMENTEM IX. PONTIFICEM MAXIMUM. ODE IX.

QUOD SIDUS OLORUM DICTUS SIT, QUANDO CREATUS SUMMUS PONTIFEX.

O_9 v.1 Ecquod conspicuum novumque sidus,
 2 caelo fundere coepit e sereno
 3 luminis radios benignioris,
 4 atque omnem exhilarare luce mundum !
 5 Toto denique quotquot estis orbe,
 6 vos o plaudite, nobiles poetae
 7 omnes, omnibus atque eum poetis,
 8 Musae, plaudite : vestra res paratur.
 9 Nam regum optimus ille, principumque,
 10 cunctarum pater ille gratiarum,
 11 e cujus animo redundat omnis
 12 fons et copia liberalitatis,
 13 totus pectore, totus ore candens,
 14 blandi, blandus uti solent olores,
 15 et dum prima animos sinebat aetas,
 16 qui canebat, uti canunt olores.
 17 Pastor ille benignus, ille Clemens
 18 vatum sidus et est, ut est olorum.

SERENISSIMO PRINCIPI EMMANUELI THEODOSIO
 A TURRE ARVERNIAE BULLONIO S.R.E. EMINENTISS. CARDINALI. ODE X.

QUOD ACCEPTAM NUPER A SUMMO PONTIFICE PURPURAM,
 SIBI MERITISQUE SUIS UNICE DEBEAT.

O_10 v.1 Sic est : non ego, Bulloni,
 2 augur vanus eram, debita cum tibi
 3 sacrae munera purpurae
 4 jamdudum canerem, nec sua defuit
 5 vati, quam meruit, fides.
 6 Et te purpureis patribus additum,
 7 exsultantibus e jugis,
 8 vulgavit populis Roma : tibi prius
 9 quod spes publica voverat.
 10 Quae non laetitiae signa dedit pater
 11 Tibris, lene frementibus
 12 e ripis ? Thalamo nec male reddidit
 13 plausum Sequana de suo.
 14 At non te meriti muricis ad decus
 15 promovit temerariae
 16 fortunae levitas, non popularibus
 17 auris gratia Principis
 18 parta, aut sollicitis ambitionibus :
 19 non te fata domestica,
 20 non discrimina per mille Turennius,

21 laudem quaerere nobilis,
 22 quando pro patria, et Principe pro suo,
 23 devotus toties mori,
 24 objectasque acies rumpere fervidus
 25 altum fulminat ad Sabim ;
 26 Non te illustre genus ; non avus, aut pater,
 27 bellis egregii licet
 28 ambo, consiliis praecipuus tamen,
 29 et pollens pater arduae
 30 nentis ; non atavi denique Caesares,
 31 qui per Nassaviam domum
 32 accessere tuae ; non reliquas supra
 33 laudatissima feminas,
 34 te mater Latio murice vestiit,
 35 non clarissima turribus
 36 stirps Arverna suis ; non tibi contulit
 37 fratrum turba faventium,
 38 Romanae pretium nobile purpurae.
 39 Hanc isti sapientiae,
 40 cujus consiliis omnia temperas,
 41 debes moribus hanc tuis ;
 42 hanc debes meritis denique, et his quibus
 43 omnes tam bene gratiis
 44 devincis animos. Quae veniet brevi
 45 ostro gloria de tuo,
 46 in consanguineos undique principes,
 47 qui tot fata volentium
 48 decernunt populorum ? O novus incitae
 49 si menti incideret calor,
 50 si vis alta ! Quibus scilicet, ah ! quibus,
 51 princeps magne, tuum modis,
 52 plaudentes canerem per populos decus ?
 53 Quo te carmine dicerem ?
 54 Quamquam o, spero equidem, languida pertinax
 55 sacrorum taciturnitas
 56 si vatum ora premat : mox erit, ut tuum
 57 gentes nomen ad ultimas
 58 centum Fama tubis ferre praeoccupet ?
 59 Nec jam Justitiae soror,
 60 virtutisque comes Gloria, ceteros
 61 demum provehere ad gradus,
 62 te sic promeritum differat : id tibi
 63 nato ad grandia spiritu,
 64 vis excelsa tuae spondeat indolis ;
 65 nec regis favor abnuat :
 66 id regnum velit, et relligio petat.

AD CHRISTIANUM LAMONIUM IN CURIA PARISIENSI SENATOREM ILLUSTRIS.
 PRINCIPIIS SENATUS FILIUM NATU MAJOREM. ODE XI.

LAMONIAE DOMUS FORTUNAM SOLA VIRTUTE CONTINERE.

O_11 v.1 Nempe hoc monebas, optime Lamoni,
 2 non marte ab uno gloria turbido
 3 quaerenda bellorum fragore,

4 per populos domitos, et urbes.
 5 Nec sola priscis arma Quiritibus
 6 tractata, Romam terribilem hostibus
 7 fecere, non Afer subactus,
 8 aut Nomas, horribilisve Medus.
 9 Sua et quieto carpitur e foro
 10 palma ; et reportantur sine sanguine
 11 certi, per heroas togatos,
 12 pacificae Themidis triumphis.
 13 Mihique is unus longe alios super
 14 laudetur heros, qui male nil sibi
 15 permittat impermissum, et alta
 16 mente, libidinibusque caecis,
 17 suisque votis imperet, abstinens
 18 optare, quae fas non prius annuat ;
 19 refrenet iras, et volentes
 20 per populos, sine caede regnet :
 21 quod est honestum praeferat utili,
 22 vultu severo dona nocentium,
 23 pro jure mercando, superbus
 24 rejiciat, rigidusque iudex.
 25 Hac arte prisca Lamoniae decus
 26 coepere verum quaerere : sic avus,
 27 clarique majores, tuumque
 28 per patrios genus omne fastos,
 29 hac et supremum Lamoniis parens
 30 legum in tribunal, justitiae integer
 31 pervenit et coepit profundo
 32 ore suae dare jura genti.
 33 Vides, ut alti pondere consilii
 34 momenta legum temperet ; et suo
 35 componat aestus turbulentos
 36 eloquio, popularis aerae.
 37 Mirata talem, te quoque Regia,
 38 orator urbis cum populo datus
 39 sermone regem non tacendo,
 40 pro patria alloquereris urbe.
 41 Dijudicandis civibus unice
 42 attentus, aequum dividis omnibus ;
 43 vanoque nugarum tumultu
 44 liber, amas solidum, ac requiris.
 45 Jam sic paternam moribus in tuis
 46 agnosco virtutem, atque domesticum
 47 decus, redonatamque mundo
 48 justitiam, studio parentis.
 49 Haec vestra laus est, inclyte Lamoni :
 50 virtute in una scilicet et domus
 51 Lamoniae fortuna, et omnis
 52 spes meriti statuenda vestri.

AD DIVAM VIRGINEM LAURETANAM. ODE XII.

UT TURCAM AB ITALIA PROCUL ARCEAT.

O_12 v.1 Diva, quam rebus trepidis benignam

2 rure Piceno veneratur Orbis,
 3 cui suos sternit facilis moveri
 4 Adria fluctus,
 5 si qua pastoris tibi Vaticani
 6 cura, vel sacri superest ovilis,
 7 Italis Thracem procul inquietum
 8 finibus arce.
 9 Si faves, totis trepidabit undis
 10 Bosphorus, rupes Scythicae pavebunt,
 11 Turca pallebit, timidumque cornu
 12 Luna recondet.
 13 Namque te dudum pelagi potentem
 14 non semel verso tremuere ponto
 15 mersa Thraeissi, rate dissipata,
 16 arma tyranni.
 17 Ne tibi fidam pavor ille gentem
 18 angat, aut saevis male turbet armis
 19 quos tuis laeti meditamur aris,
 20 ponere honores.

AD DUCEM BORBONIUM SERENISSIMI PRINCIPIS DUCIS ENGUINEI
 FILIUM NATU MAJOREM. ODE XIII.

PRO PUERO, DUM CRESCIT, PARENTUM VIRTUTE EXCITANDO.

O_13 v.1 Timete Belgae : Borbonia novus
 2 de stirpe crescit sub patribus leo,
 3 luditque Condaeas per aedes,
 4 filius Enguineo parenti,
 5 fatale toti nomen Iberiae,
 6 vobis tremendum : si bene milites
 7 ducesque vestri, post tot annos,
 8 Rocroyae meminere cladis.
 9 Crescendo patrem si puer, aut avum
 10 virtute et armis terribilem exprimat,
 11 quem monstra inaccessis sub antris
 12 Hercyniae tremuere silvae,
 13 et Rhenus alto flumine palluit,
 14 si grande bello Borbonidum genus
 15 aequet Palatinaeve matris
 16 ingenium niveosque mores.
 17 Quos ille amores per populos suae
 18 ex ore matris, quos animos feret
 19 de fortium exemplo parentum,
 20 quos juvenis referet triumphos ?
 21 Quando Friburgum, fisa loci situ
 22 Norlinga, supplex Alsata, Teutones
 23 victi, triumphatusque Rhenus,
 24 tot populi domiti, tot urbes
 25 menti recurrent : quos animo puer
 26 versabit aestus ? Namque domestica
 27 exempla crescentem excitabunt,
 28 et proavis similem et parenti
 29 natum reponent. Sed mihi fervido
 30 videtur urbes et populos super,

31 volare curru, de triumphis
 32 jam patriis, animosus infans.
 33 Dum crescit aetas, dulcibus interim
 34 Musis remittat se puer, ac avi
 35 magnique virtutem parentis
 36 de teneris meditetur annis.
 37 Bonas ut artes quem rapido ingeni
 38 ingens Avus decurrerit impetu,
 39 et disciplinas quam profunda
 40 mente Pater penetrarit omnes.

AD ILLUSTRIS. VIRUM PETRUM BELLEVRIUM ODE XIV.

IN EFFRENATAM AETATIS NOSTRAE LUXUS IMPOTENTIAM.

O_14 v.1 Erramus, et nos, Bellevri, vanus tenet
 2 ac fascinat praeposterae
 3 severitatis cultus : austeri palam
 4 volumus videri, nec sumus ;
 5 loquimur severa, et delicate vivimus :
 6 sic indoles est saeculi ;
 7 crepare mores inverecundi bonos
 8 audemus, et nostri jacent,
 9 foedaque molles diffluunt inertia,
 10 aetatis hujus in probrum.
 11 Longinqua velis navigamus aequora,
 12 Pontique ridemus minas.
 13 Negotioso ut serviamus luxui.
 14 Quaecumque naufragio venit,
 15 pretiosa res est. Mensae et abaci e finibus
 16 mundi afferuntur ultimis.
 17 Lignumque fuco discolore patrium,
 18 maculisque deformat faber,
 19 ut insolens quid, atque peregrinum exprimat.
 20 Nostro palato desipit,
 21 vulgare quidquid atque plebeium sapit.
 22 Nivesque, poenas montium,
 23 laboriosas facere delicias gulae
 24 studemus artes per novas :
 25 partuque fructus arbores adultero,
 26 dum parere ferro cogimus,
 27 nil esurimus obvium, ac parabile :
 28 est vile quod pronum est nimis.
 29 Regum illa vestis principumque purpura
 30 nostros in usus viluit.
 31 Spectatur altas optimatum per domos
 32 jam purpurata servitus.
 33 Pro foribus ipsis turba famulantum fremit,
 34 longisque oberrat atriis
 35 populo videnda, se sui ostentans heri
 36 coloribus sub splendidis.
 37 Amnes regesto submoventur e solo,
 38 campi innatantur amnibus ;
 39 et substruendis molibus terra intimis
 40 perfossa visceribus gemit.

41 Fastu insolenti magna privatae domus
 42 struuntur in palatia.
 43 Marmore superbum limen est, et grandibus
 44 addenda tectis porticus,
 45 aurisque aperta perviis, longum explicat
 46 se per columnarum ordinem.
 47 Opulenta splendent sumptuosis aedibus
 48 aulaea, crystallus domum
 49 lucet per omnem multa, laqueare eminet
 50 Auro nitenti perlitum.
 51 Ferro vibratam, perque nexus tortiles,
 52 pexam renodamus comam,
 53 trans mare petitis crinibus, quos nutriit,
 54 et vendidit Britannia.
 55 Et per colores non suos nigrum caput
 56 mutare flavo discimus.
 57 Ori paratur arte medicatus rubor,
 58 genasque fucus inficit.
 59 Manus olentes roribus jasmineis,
 60 roseis capillos unguimus ;
 61 pictamque plumis addimus superbiam,
 62 tumidum ut inumbremus caput.
 63 Fastidiosus nomina exhausit novis
 64 antiqua luxus vestibus.
 65 Monilibusque colla torquatae exteris
 66 census maritae conjugum
 67 dotesque vendunt, ut novum formae decus
 68 parent, et exponant procis
 69 virgata vestis moris externi placet,
 70 vestes supra jam patrias ;
 71 sed latera amictu deprimunt artissimo,
 72 unde gracilescant virgines.
 73 Comptumque velo dum levi obnubunt caput,
 74 ardent videri, dum latent.
 75 Et dissolutis induuntur vestibus,
 76 ut pateat insidiis pudor.
 77 Hoc mersa caeno civitas non se amplius
 78 agnoscit, et sui pudet.
 79 Morum haec ruina, dedecusque saeculi,
 80 longa est querelarum seges ;
 81 et digna, cur per insitam modestiam,
 82 frugalitatem per tuam,
 83 sanctosque mores, temporis tam perditum
 84 hanc improbaturos luem,
 85 placandus ad te provocarem, Belleuri,
 86 et rumperem silentium.

AD DELPHINUM FRANCIAE. ODE XV.

PRO EO PER PRINCIPUM LITERATORUM TRIUMPHOS, AD STUDIUM LITERARUM,
 CUI DAT OPERAM, INCITANDO.

O_15 v.1 Dum litterato ludis in otio,
 2 et castra doctae Palladis impiger
 3 Delphine sectaris, futuros

4 vincere jam meditaris hostes.
 5 Bonas per artes, pectora dulcium
 6 formare alumnorum, asperioribus
 7 virtutis armorumque curis,
 8 Pallas amat, teneris ab annis.
 9 Imbelle nido sic genus erudit
 10 ales minister fulminis, arbitra
 11 in luce, ad armorum fragorem, et
 12 grande ministerium tonantis.
 13 Sic natus alti sanguine Pelei
 14 infans Achilles semifero manus
 15 submitit heroi, superbum
 16 Ilion excidio daturas.
 17 Sic in Lyceo per sophiae sacras
 18 deductus artes Emathius puer
 19 Graecum, pharetratumque Persam, et
 20 terribilem superavit Indum.
 21 Sic quae Latinis Hannibalem ferum
 22 Carthago quondam finibus intulit,
 23 doctique, Musarumque amantis
 24 Scipiadae male cessit armis,
 25 altam Quiritum per sapientiam,
 26 ac litteratos sic quoque Caesares
 27 se Roma tum demum subacto
 28 imposuit metuenda mundo.
 29 Delphine, quam non gloria lauream,
 30 quas fata palmas non tibi destinant ?
 31 Si quando formatus per artes
 32 egregias, facilesque Musas,
 33 orbi regendo veneris. Ilicet
 34 hoc sperat a te, Rex pater, et suae
 35 virtutis inspirare nato
 36 magnanimos bene coepit ignes.

IN R. P. JACOBUM SIRMONDUM. EPITAPHIUM. ODE XVI.

O_16 v.1 Cujus, forte rogas, sit hoc sepulchrum ?
 2 Incertum senis an sit, ane oloris.
 3 Certe par fuerat senex olori.
 4 Erat canus, uti solent olores,
 5 et clemens animi, indolisque blandus,
 6 quales vos, nivei, ferunt, olores.
 7 Quam belle canitis, senex canebat.
 8 Candoris retinens, uti soletis,
 9 puram candidus egit usque vitam.
 10 Demum mortuus, ut mori soletis,
 11 inter delicias amoeniorum
 12 Musarum, atque modos suaviores.
 13 Quis vobis adeo parem negarit,
 14 olores, pariter fuisse olorem ?
 15 Cujus praeterea sit hoc sepulchrum,
 16 si rogas, senis est, et est oloris.

AD CAROLUM PERERIUM LYRICUM INSIGNEM. ODE XVII.

NIMIS CIRCUM SPECTAM AC DILIGENTEM GALLICI SERMONIS CURAM,
 QUAE NUNC EST TRACTANDAE POESI LYRICAE VIDERI IMPAREM.

O_17 v.1 Sic te non tua, Pereri,
 2 conjectura fefellerat.
 3 Sic est : nulla decentius
 4 scripsit, tempore pristino,
 5 aetas, nulla disertius
 6 quam quod scribere coepimus.
 7 Nostro purius haud fuit
 8 saeclum, nec magis elegans.
 9 Ut verum fatear tamen,
 10 dum sic quaerimus anxie
 11 linguae munditiem, omnibus
 12 sparsam denique gratiis ;
 13 et dum difficiles nimis,
 14 et tersi, et graciles sumus :
 15 nervos, crede mihi, suos
 16 verbis ah ! male seduli,
 17 justa et pondera deminus.
 18 Sic et destituit sua
 19 sermonem prope dignitas.
 20 Si nescis, ea, Pereri,
 21 circumspecta sagacitas
 22 scribendi, et nimis anxia
 23 quae nunc sedulitas viget,
 24 prorsus sic animorum egens
 25 nos jam carmine patrio
 26 tractandae fidibus lyrae
 27 prorsus reddidit impares.
 28 Aetas nostra superbior
 29 audax quidquid et insolens,
 30 sermoni est patrio illitum,
 31 duris respuit auribus.
 32 Ergo si fide Gallica
 33 nostri forte paraverint
 34 vates pulvere bellico
 35 nigrum dicere Principem
 36 dum Burgunda quatit suo
 37 victor moenia fulmine
 38 et Reges canere et Deos ;
 39 his est protinus altior
 40 affectanda polo via ;
 41 nec tam grandia debili
 42 enarranda modo, juvat
 43 ferri, quo rapit impetus ;
 44 et mortalibus invium,
 45 pennis fortibus, arduas
 46 trans nubes, per iter sequi,
 47 et per certa pericula
 48 prudentis petulantiae,
 49 multo non sine numine,
 50 et non degeneri gravis
 51 pertractanda modo chelys.
 52 At nos grandis Horatii,

53 quantum possumus, aemuli,
 54 nos Romana quibus lyra
 55 majores animos facit,
 56 felicemque licentiam,
 57 ut multo melioribus
 58 pennis, o bone Pereri,
 59 altos tollere spiritus
 60 praeclare temerarii
 61 audemus, quoties viros
 62 fortes dicimus ad lyram :
 63 versus immeritos mori
 64 soli scribere novimus.

CHRISTUM PATIENTEM. ODE XVIII.

O_18 v.1 Nube quis clari rutilum profunda
 2 solis exstinxit jubar ater horror ?
 3 Nocte turbatus super insolenti
 4 palluit orbis.
 5 Palluit caelum : stupefacta tanti
 6 venit in partem quoque Luna luctus,
 7 quippe tam justi fuit ulla nunquam
 8 causa doloris.
 9 Vidit affixum trabe sol in alta
 10 Numen, et vultus pavidos retorsit :
 11 luminis fontem puduit videre
 12 luminis orbem.
 13 Sed quid aut primum querar, aut supremum ?
 14 Membra servili lacerata loro ?
 15 Anne Romano patefacta ferro
 16 pectora dicam ?
 17 Quid loquar fuso Domini cruore
 18 roscidas rupes, scopulosque tanti
 19 criminis testes, quid aperta justo
 20 saxa dolore ?
 21 Tene sudato madidum cruore,
 22 Christe, vel fato properante maestum
 23 dixerim ? Clemens ubi mons virenti
 24 frondet oliva.
 25 Qualis orabas ? Nece cum propinqua
 26 robur ardenti prece colligebas.
 27 Vidit orantem simul et paventem
 28 nuntius ales.
 29 "Quo repentino, furiose miles,
 30 arma moliris glomerata gressu ?
 31 Parce crudeli temerare sacrum
 32 cuspide corpus."
 33 Dum loquor, multus properat satelles ;
 34 Christus armato rapitur furori
 35 praeda ; raptatum violenta numen
 36 turba fatigat.
 37 Qualis, heu ! mollis, grege dissipato,
 38 agnus Hircanos cadit in leones :
 39 ille non uno laceratur unus
 40 victima dente.

41 Quid super tanta rabie, tonantis
 42 lenta suspensum tenet ira fulmen ?
 43 Heu ! sub humano Deus ipse causam
 44 iudice dicit.
 45 Forte candentes radiata vultus
 46 Luna sopito vigilabat orbi,
 47 tecta per multo sopor altus ibat
 48 ebria somno.
 49 Cum fatigatum malesana pubes
 50 intimas Christum penetralis aulae
 51 egit in parces, ubi serva ludo
 52 turba vacabat.
 53 Quid loquar poenae genus insolentis ?
 54 Nocte quos una tulerit dolores,
 55 nocte quos saevi tolerarit una
 56 verberis ictus ?
 57 Nulla lymphati rabies furoris,
 58 Nulla vis mentis male feriatae,
 59 non gravi illusit veneranda risu
 60 numinis ora.
 61 Vix redux orbi roseos agebat
 62 sol, sub aurora praeunte currus,
 63 cum cruentato maculatus ore
 64 triste reluxit.
 65 Interim tota glomeratur urbe
 66 turba divini sitiens cruoris :
 67 "Tolle, clamabat ; trabe perduellis
 68 pendeat alta."
 69 Mente sed iudex miseratus ima
 70 asperam sortem, sitis ut cruentae
 71 contineretur furor, imperavit
 72 verbere caedi.
 73 Itur arcanos laris in recessus,
 74 et novos Christus datur in dolores ;
 75 miles erectam media columnam
 76 figit in aula.
 77 Nudus adducto Deus obligatur
 78 fune ; tum pubes furiosa vinctos
 79 expedit fasces, rigidumque torti
 80 vimen acanthi.
 81 Ardet in plagas validus satellites ;
 82 aula percussis gemit icta plagis,
 83 et repercussi resonant frementes
 84 verberis ictus.
 85 Non tot aestivae cecidere guttae
 86 grandinis, non tot per inane rupti
 87 vere funduntur pluvio, solutis
 88 nubibus imbres.
 89 Ecce jam totam fluitant per aulam
 90 sanguinis rivi, laceri per auras
 91 depluunt artus, riguo redundant
 92 omnia tabo.
 93 Vindicis caeli super haec silebant
 94 tela : non poenas, pater, irrogabas :
 95 languido stabas pede, nec rubenti
 96 nube tonabas.

97 Insuper miles Solymaeus instat,
 98 implicat frontem paliuro adunco ;
 99 ipsa pro sceptro manus impeditur
 100 simplice junco.
 101 Vepribus frontem lacer, et liquenti
 102 squalidus vultum sanie, videri
 103 turpis est : tabo vitiata foedat
 104 ora cicatrix.
 105 Ligna per sectas fabricanda cedros,
 106 artifex ferro bifido secutus,
 107 mortis erexit trabe sub bicorni
 108 (triste) theatrum.
 109 Tollitur passis spatiosa ramis,
 110 Christe, crux palmae tibi destinatae
 111 ferculum, tristis tibi praeparati
 112 pompa triumphi.
 113 Tene jam dura video gravatum
 114 mole ? Tortores humeris iniquum
 115 pondus imponunt, lateri satelles
 116 fusus oberrat.
 117 Additur Christo comes ; et peracto
 118 urbis emensae spatio, venit,
 119 mons ubi longo super astra surgit
 120 Golgota dorso.
 121 Ter ferunt montem scopulo sonanti
 122 ad sacrum Christi trepidasse numen ;
 123 rauca ter surdum gemuit sub imis
 124 terra cavernis.
 125 Immemor rerum Solymaea pubes
 126 instat, et nudum rigido reclinat
 127 numen in ligno ; cohibet trabalis
 128 brachia clavus.
 129 Inde sublimi tenues in auras
 130 arduus trunco datur, et latrones
 131 inter, e ligno fragili pependit
 132 tam grave pondus.
 133 Quid paves, Natura ? Quid erubescis ?
 134 Non tuum crimen, facinus furoris
 135 non tui : unius fuit illud unum
 136 crimen amoris.
 137 Miles effossi penetrabile cordis
 138 efferus, torta patefecit hasta :
 139 sanguinis rupto rapidus cucurrit
 140 pectore torrens.
 141 Sol laborantes medio repressit
 142 territatus caeli spatio quadrigas,
 143 unda suspensos tenuit paventi
 144 litore cursus.
 145 Tum caput movit Libanus, moveri
 146 insolens, manes Acheron remisit,
 147 et sacri rupto patuere velo,
 148 abdita templi.
 149 Tristibus fontes fluitasse rivis,
 150 et reclinatum capitis superbi
 151 tum ferunt cedros posuisse flexa
 152 fronte cacumen ;

153 frusta per quassas abiisse rupes,
 154 intimis colles trepidasse venis,
 155 et modis totam simulacra miris
 156 acta per urbem.
 157 Christe, te flerunt specubus sub altis
 158 saxa, te rivi liquidique fontes,
 159 Christe, te flerunt stupefacta maestis
 160 rura colonis.
 161 Et tuum funus perhibent profundis
 162 Armenas silvis gemuisse tigres,
 163 teque Getulos rigidis leones
 164 flesse sub antris.
 165 Dum dolent rupes, pecudesque brutae,
 166 Numinis fato super immolati,
 167 non homo iusti dabit ulla durus
 168 signa doloris ?
 169 Cuncta plorato lacrimosus imbre
 170 ora perfundat liquor, et sonoris
 171 personent circum loca verberatae
 172 planctibus aerae.

IN FONTEM POLYCRENEN,
 BAVILLAEIO IN AGRO AQUARUM PERENNITATE ET COPIA PERNOBILEM.

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM SENATUS. ODE XIX.

O_19 v.1 Ruris splendide fons Lamoniani,
 2 quo non alter aquae perennioris
 3 manat agmine copiosiori :
 4 collis primus honos siticulosi,
 5 vallis deliciae tibi adjacentis
 6 quo te carmine, fons beate, dicam ?
 7 Nil te purius est, salubriusve ;
 8 et si nobilis unda fabulosae
 9 de Pindo tibi certet Hippocrenes,
 10 aut quos carmine prisca praedicavit
 11 fontes fabula fabulosiores,
 12 ipsa omnis tibi cedat Hippocrene,
 13 et quos carmine prisca praedicavit
 14 fontes fabula fabulosiores.
 15 Quando saepe tuae vides sub udo
 16 ripae gramine, Principem Senatus,
 17 venatu nimio, jacere fessum,
 18 mirarique tuam perennitatem,
 19 secessumque per otiosorem,
 20 moram ducere non male otiosam.
 21 Mollis namque toro sedens sub herbae,
 22 legit Virgiliumve, Tulliumve,
 23 suas delicias, suosque amores ;
 24 aut quodcumque operum venustiorum,
 25 olim, tempora prisca, protulistis.
 26 Sedis Liligeriae sacrum tribunal,
 27 toti jura dat unde civitati,
 28 Non illum faciat beatiorem.
 29 Vos o nobilium proinde aquarum,

30 fontes undique quotquot estis omnes,
31 fonti cedite jam Lamoniano.

IN EUMDEM FONTEM. ODE XX.

O_20 v.1 Gaude sorte tua : sat es beatus,
2 fons solo edite Sancaroniano,
3 et quamvis per agros inelegantes,
4 et vilem thalamum, atque scrupulosas
5 per valles, iter is laboriosum ;
6 nec sat terra tuo sit aequa rivo,
7 fortuna utere. Lamonaeus ille
8 princeps Ordinis ille purpurati,
9 regni gloria prima, saeculique,
10 Musarum ille amor, ille Lamonaeus
11 amat te bonus, atque saepe visit,
12 Septembres ubi per vacationes,
13 Urbe Aulaque procul tumultuosa,
14 obit lata sui vireta ruris :
15 quin et saepius esse te suarum
16 metam destinat ambulationum.
17 Ergo desine velle sumptuosas
18 cunas, aut thalamum decentiorem,
19 cultus desine velle mundiores,
20 fortunamque aliam : sat es beatus.

IN EUMDEM FONTEM ILLUSITRISIMI SENATUS PRINCIPIS DELICIAS. ODE ULTIMA.

O_21 v.1 O fons, ocelle ruris atque uber tui !
2 Heri o voluptas innocens !
3 Tuamne certem pauperis vena ingeni
4 aequare vates copiam ?
5 Cui par, nec ille fuerit Aonios liquor
6 movere cantus efficax,
7 nec qui Sicano gurgite intactas fugit,
8 amnem maritum respuens.
9 Non te superbo parius hinc ambit lapis,
10 hinc concha dives margine.
11 Non alta Regum tecta, picto in alveo
12 tumidus videri, perfluis.
13 Sed musco, et udo gramine agrestem paras
14 tibi ipse thalamum rusticus ;
15 et inter umbras, atque operta vallium,
16 vitreo fugax curris pede.
17 At ne pudori sit tamen, quod nil manus
18 tibi fabra cultus addidit.
19 Caduca dos est artis : aeternus manet,
20 crescitque Naturae decor.
21 Sorte o tua beate ! Lamonidae places :
22 hunc nuda simplicitas capit.
23 Fuci animus expers scilicet, mores suos
24 in te intuetur, et probat.
25 Ac nunc in undis lene decurrentibus,
26 placidoque fuis agmine ;

27 siticulosus, specimen eloquii exhibes,
28 blande influentis auribus.
29 Nunc liberalem pingis, et avaras opes
30 sibi retinere nescium ;
31 seu, cum ardet aestas, fers bonus violis opem,
32 herbisque supplicantibus,
33 seu vitae egentes arbores felicibus
34 rigando lymphis recreas.
35 Nec te rapacis more torrentis juvat
36 late ruinis crescere.
37 Corripere messes, nemora, cumque ovilibus
38 ipsas colonorum domos.
39 Herum aemularis nempe, quem nulli gravem,
40 cuncti benignum sentiunt.
41 Hunc ipse sentis, quando reclinans caput
42 amatae in orae gramine,
43 aestum liquore temperat gelido, et suis
44 te consecrat sudoribus.
45 Trepidae laborant undae, et alternis manus
46 gaudent adorare osculis ;
47 justa hinc tumentes se ferunt superbia,
48 dulcique plenae imagine,
49 monti obviisque vallibus Lamonium
50 fluctu loquuntur garrulo.
51 Jure ergo, Fons venuste, delicias suas,
52 suosque amores te vocat.
53 Teque Polycrenen jure dici vult, novo
54 plaudente fama nomini.
55 Certe Hippocrenen occupatam Barbaris
56 meliore reddas omine :
57 Phoebos et relicto, sacra Musarum cohors
58 unum colat Lamonium.
